

verit, omnesque partes" Doctoris feliciter, assistente Spiritus Sancti gratia, adimpleverit, ut non dubitaverit canere NICOLAUS SELNECCERVS, Theologus Lipsiensis, meritis in Ecclesiam celeberrimus:

*Non mihi si centum linguae sint, oraque centum,
Proferrem laudes, magne Lutheri, tuas.
Dicimus at grates Christo, qui protulit illum
Doctorem nostro tempore mirificum,
Solus es assertor veri, licet Ilia Codro
Rumpantur: majus te nihil orbis habet.*

Et quae reliqua aliis elogiis suis beatus Vir in Lutherum cumulavit: Neque vereor, cum in hanc contemplationem descenderimus, ideam aliam hujus SELNECCERI de Doctore tanto suppeditare. LUTHERVS a Deo honorem, ἀξίωμα, & auctoritatem habebat, qua minime efferebatur, & quam non ambiebat, & osor ac hostis erat omnium superbiorum & ambitiosorum. Fuit enim vehemens & acer, cum vehementia opus esset: fuit humanissimus erga omnes: liberalis, praesenti animo atque laeto, affabilis, placidus, cujus os & suavitatem & gravitatem prae se tulit, oculi leonini acumen ingenii excellentissimi & animum intrepidum ostenderunt, in consolandis aegrotis, affectis, tentatis, totus vixit, ad prosternendum & ad erigendum, ut necessitas & circumstantia postulavit, paratus & felix, nemo tam potens, nemo tam doctus, nemo tam versutus, qui Spiritum ejus potuisset superare, seducere, circumvenire, cessit omnibus & cessit nulli: omnibus quoad officium illis exhibendum: nulli quoad verbum Dei asserendum: ex verbis animum habuit statim sibi perspectum: superbos, quancumque essent, ut glumam & stercus fecit, incertos de fide sua, si dociles essent, ceu pueros, fideliter docuit, si praefracti & pertinaces in opinionibus defendendis, verbo de re-

pugnans